

REGULAE
EPISCOPALIS SEMINARIJ

AD

S. WOLFGANGUM

RATISBONAE.

***1300444**

Editio altera.

TYPIS ROTERMUNDIANIS.

1834.

8th part 5319



Ex donatione
J. Frohschammer.

DEI GRATIA
NOS MAXIMILIANUS
PROCOPIUS, Episcopus
Ratisbonensis etc. etc.

Inter praecipuas Episcoporum, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, curas haud ultimo loco reponit S. Synodus tridentina studium curandi, ut Seminaria Clericorum in singulis Dioecesibus et erigantur, et erecta ad mentem Ecclesiae animentur. Nec ignoramus, quod Patres Aquileienses edixere, Seminariorum institutionem, conservationem et promotionem in Ecclesia Dei summe fructuosam, imo tantopere necessariam esse, ut stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio et adminiculo vix possit.

Itaque postquam Nos divina providentia ad Solium Episcopale amplissimae hujus Dioeceseos evehere dignata fuit, nihil antiquius Nobis habendum esse censuimus, quam ut huic Nostrae gravissimae obligationi satisfacturi, Seminarium generale, nec illud tantum ad Clericos sententiis theologicis, sed omni quoque genere virtutum imbuendos adcommo- datum, constitueremus, regulasque addere- mus, quae juvarent ad melius in via intenta divini obsequii procedendum juxta vocationis Nostrae rationem.

4
Vos itaque, dilecti filii! in Domino hortamur, ut constitutiones has ad amussim observare, et Nostrae aliorumque expectationi respondere studeatis, scientes, laborem et vigilantiam Nostram, et quam hisce studiis intendimus, Ecclesiae Nostrae utilitatem, omnique Nobis commissarum salutem a paren- di vestro studio ita dependere, ut nisi interna charitatis et amoris illius lex, quam sanctus Spiritus scribere, et in cordibus imprimere solet, animos vestros permoveat, omnia in irritum recidant. Neque vestra obsequen- di negligentia praesentis temporis limitibus concludetur; cum ea sit initiorum vis, ut, si mala fuerint, omnem etiam sequentibus annis faciendi fructus spem succidant.

Sed meliora Nos sperare jubet et vestrum obediendi studium, et sublimis, quam probe agnoscitis, vocatio.

Quare dum iterum iterumque voluntatem Nostram his sanctionibus contentam insinua- mus, et fideliter implendam confidimus, caelestem vobis benedictionem a Domino preca- mur. Ex Residentia Nostra Stauffensi 29. Julii, 1787.

Hasce Regulas confirmamus, et accurate servandas de novo praescribimus.

Ratisbonae, 22. Octobris 1853.

Franciscus Xaverius,
Episcopus.

5

De obligationibus erga Deum.

Eum in finem in Ecclesia Dei instituta fuere Semi- naria, ut in iis alumni praeter scientiam eam vitae perfectionem adipiscantur, quae in iis, qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet, ut loquitur S. Carolus Borromaeus. Heinc admissi ad Seminarium toti in eo esse debent, ut praeteritae juventutis delicta eluant, ut virtutum operibus per singulos dies et horas exercitis optimos habitus induant, ut abnegationem sui, ut contemptum mundi, ut charitatem Dei et proximi, pretium temporis, necessitatem ordinis diurni etc. etc. practice doceantur, et vitae regulari adsuescant, conti- nuandae per reliquum vitae tempus, haud ignari, vir- tutem mediocri scientia instructam mira in vinea Do- mini patrare: Scientiam autem socia virtute destitutam prodesse nihil, obesse plurimum. Itaque

§. I.

Ipsa initio sui in Seminarium ingressus per octo continuos dies sacris exercitiis separati ob omni con- versatione mundana cum omni diligentia in Domino vacent, indeque generalem totius vitae confessionem fa- ciant, et post eam sacratissimum Christi Domini corpus sumant. Eamdem sacram solitudinem repetent, quoties Superioribus visum fuerit.

2. Mane omnes et singuli post preces matutinas mediam horam orationi mentali, quae est veluti anima sanctioris et perfectioris vitae instituti, flexis genibus tribuant: nemo excursionibus non necessariis alios turbet: nemo a meditationibus, precibus, aut aliis exercitiis faciendis se eximat, nisi manifesta necessitas excuset.

3. Augustissimo Missae Sacrificio quotidie omnes ea cum reverentia et attentione adsistant, quae tantum Sacrificio decet, et sub eo, qui majoribus Ordinibus initiati sunt, horas minores officii diurni persolvant: reliqui dicant Matutinum et Laudes majoris Officii B. V. M., aut certe sublimissimi hujus mysterii contemplatione occupentur.

4. Utantur omnes quotidie in meridie nimirum et vespere examine conscientiae tum generali tum particulari, veluti mediis ad extirpanda vitia, et acquirendas virtutes facile primariis.

5. Matutinum cum Laudibus officii divini, qui ad majores Ordines promoti sunt, in unum congregati alternis choris devote recitabunt. Vesperas porro cum Completorio ante lectiones pomeridianas dicent. Eodem tempore reliqui Cursum Marianum absolvent.

6. Quotidie omnes dimidiam horam lectioni libri ascetici, a D. Regente adsignandi, impendant.

7. Conscientiam singulis octiduis salutari Poenitentiae Sacramento expiabant, et Ss. Eucharistiam devote suscipiant. Quod idem faciant alias, quando Superioribus visum fuerit.

8. Dato signo ad orationem, conferentiam, aut lectionem spiritualem et omnes sine mora pareant, et ad id se conferant, ad quod vocantur; evocantur enim ejusmodi signis ad obsequium Deo praestandum, quod,

cum is hilarem datorem diligit, alacriter et celeriter fieri convenit.

9. Preces recitentur tarde, quod ut fiat, ii, qui volubilioris linguae sunt, media et ultima versiculorum verba ita producant, ut ante alios tardiores non absolvant, neque nova pars incipiat, antequam altera finierit.

10. Qui orando praecit, omnia verba clare, distincte, devote ac tardiuscule pronuntiet, ac preces eoque inchoare differat, ut omnes audito pulsu ad orationem una quasi serie pergentes, initio precum adesse possint.

11. Ad discursus familiares in re profana divinae Scripturae verbis non abutantur, neque contra Deum aut Sanctos heteroclitia verba proferant.

12. Sacris nominibus Jesu et Mariae reverentia exhibeatur, caput aperiendo et inclinando, non vero muliercularum more genu parumper inflectendo.

Aliud est, dum mensae adsident, et dicta nomina proferuntur; tunc enim sufficit facta inclinatione capitis honorem et reverentiam contestari.

13. Ad templum accedentes servent silentium. Quando ministrant ad altare, sint graves, maturi, expediti, manibus et vestibus mundi, tenentes manus antepectus erectas, oculis demissis, et in omni actione reverentiae et modestiae memores.

14. Dum in Ecclesia, per vices adsignandi, suos exercent Ordines, id faciant cum omni decore, gravitate, et modestia, observantes quam exactissime omnes ceremonias; si enim aulici Principibus suis tam sollicitè obsequia sua exhibent, nihilque, quod vestitum et reverentiae significationem adinet, omittunt, quidni Minister Ecclesiae in servitio, quod Regi Re-

gum defert, dum in Altaris ministerio occupatur, minimas rubricarum apices exequi studeat. Verbo: in omni loco et functione praesertim sacra, ita se gerant, ut intuentes illos aedificentur, et glorificent Patrem, qui in coelis est.

15. Denique saepius sint memores sublimis vocationis suae, Deoque gratias agant pro tam praeclara sibi oblata occasione, et se rite ad munus apostolicum praeparandi, et magnos virtutum thesauros sibi comparandi. Conentur proin illam in profectum suum convertere, haud ignari, cui plus datum est, plus requiri ab eo, totamque reliquam vitam a primis principiis clericalis educationis dependere, et illis plerumque conformari.

16. Singulis octiduis semel atque iterum a D. Regente instituetur Colloquium asceticum, singulis vero mensibus, aut quoties Superiori visum fuerit, ad examen particulare vocabuntur. Ex utroque proin proficere in Domino studeant, et in virtutum solidarum ac perfectarum et spiritualium unum studium incumbant, ac in hujusmodi majus momentum, quam in doctrina, vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse sciant; illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanere ad finem nobis propositum oportet.

§. II.

De obligationibus erga Proximum.

1. Superioribus et subordinatis Officialibus debitam reverentiam et obedientiam exhibeant, licet nihil aliud,

quam signum voluntatis Superioris sine ullo expresso praecepto videretur; versari autem debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia praestatur, et ut in spiritu amoris et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum.

2. Praefectis suis tam Musaeorum, quam Cubilium, aliarumque functionum non obloquantur, sed obediant, eorumque correctioni subiaceant. Qui contradixerit, punietur, eoque gravius, quo magis ejusmodi oblocutiones bonae disciplinae obsunt, et singuli Praefecti sabbatho D. Regenti de his aliisque rebus bonum Seminarii concernentibus referant.

3. Juxta Apostoli monitum quilibet studeat servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ideo alter alterius onera portabit, et sic adimplebit legem Christi, quae est mutua charitas. Honore quoque invicem praeveniunt, quos Deus charitatis inhabitare facit unanimes in domo. Amicitias particulares, sicut et privatas aversiones, tanquam concordiae pestes summopere fugiant.

4. Colloquia sint casta, et christiani decoris legibus adstricta. Quidquid inhonestum, aut scurrile, quidquid offendere valeat, absit a Clericorum conversatione.

Neque utantur nimia inter se familiaritate, sed evacuatis, quae sunt parvulorum, et deposita levitate, in secunda persona sese non compellabunt. De rebus utilibus, aliisque tam ad eruditionem, quam ad pietatem pertinentibus, sermonem inter se habebunt.

5. Sacerdotes et Clericos advenientes in Seminarium, aut ibidem exercitiorum spiritualium causa morantes, absque obtenta a D. Regente facultate nullus accedat.

6. Nullus extraneos pueros instruendos ad se vo-

cet; extraneos studiosos citra specialem facultatem nemo etiam in scholis accedat, nemo ad Musaeum vel ad Curritoria, minus ad lusum invitet. Quando facultas datur domi cum extraneis colloquendi, vel collocutio fiat in publico, vel in atrio, vel teste adstante. Colloquia cum foeminis omnino interdicta sunt, nisi gravis necessitas excuset, et tunc sint brevissima: finito colloquio sistent se cum gratiarum actione D. Regenti, a quo facultatem acceperunt.

7. Pro conversatione cum proximo regula generalis esto, quod omnis in conspectu aliorum a nobis suscepta actio speciem eos honorifice colentis amici praesferat. Hinc quidquid nauseam in spectantibus, fastidium, indignationem, vel scandalum praebere posset, procul a nobis, et a nostra conversatione arceatur.

Id ut eo certius fiat, singulis mensibus scholam urbanitatis, seu normam honorum morum legere, vel audire cum fructu studeant.

§. III.

De obligationibus erga seipsos.

1. Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant, et placeant divinae bonitati propter seipsam et propter charitatem, et eximia beneficia, quibus praevent nos, potius, quam ob timorem poenarum, vel spem praemiorum, quamvis hinc etiam juvari debeant, et in omnibus quaerant Deum, exuentes se,

quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo iuxta sanctissimam ac divinam ipsius voluntatem, exemplo Apostolorum, quorum successores esse volumus, qui relictis omnibus secuti sunt Christum.

2. Quae ad castitatem pertinent, non multis regulis indigent, cum constet, quam sit perfecte observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia.

3. In exteriore homine nil nisi grave, moderatum et religione plenum praesferant. Semper veste nigri coloris talari cum cingulo induti sint. In Cubiculo vel Musaeo non decet esse incompositum. Hinc quisque in rebus suis ordinem servare studeat, non vero quovis loco, ubi usui fuere, res relinquatur. In oculis aliorum se vestire, cubiculo egredi semivestitum, vel vita nocturna tectum ad Musaeum properare, vel in cubili stare habitu dissoluto, inurbanitatis est, ac tametsi ad manum sit, qui quotidie lectum sternat, dum ex eo descendis, inconcinne tectum ne relinquant.

4. Mundities, quae et ad valetudinem et ad aedificationem confert, omnibus curae sit, tam circa seipsos, quam circa alia omnia. E. g. Dum scindunt chartas, scissuras et alia similia in terram non projiciant: vestes habeant bene compositas et mundas, easque, si laceratae, aut contaminatae fuerint, quam primum refici et purgari curent.

Sed dum sordes cavere jubentur, curandum sibi quoque sciatur, ne in alterum extremum prolabantur, seque affectate comant. Crines crispatos proin vel juxta modernum genium hispide disturbatos neququam

habeant, sed canonicè sectos. Corona recens sit et conspicua.

§. IV.

De iis, quae ad disciplinam domesticam pertinent.

1. Claves dormitoriorum sint penes Praefectos Musaeorum, qui eas ita custodiant, ut nemo etiam de die ante Tempus constitutum ea ingredi possit sine causa iisdem Praefectis insinuata, ac necessaria.

2. Nemo lectum suum mutare insciis Superioribus, aut ad alterius lectum sub quovis praetextu accedere, aut denique ad illum lumen adferre praesumat. Praefecti dormitoriorum haec in re conscientia oneratur.

3. Nullus domo egrediatur, nisi quando et cum quo socio Superiori visum fuerit, studeantque et dictis et factis ita se gerere, ut apud omnes aedificationem pariant, sicque demonstrant, se non tantum scientiis, sed et virtuti in Seminario operam dare. Constituto denique tempore redeant, et cum gratiarum actione Superiori se sistant. Similiter sine ejusdem praescitu nemo quidquam alteri scribat, committat, vel aliquid recipiat.

4. Quando datur facultas deambulandi, nullus absque speciali facultate cujuscunque rei causa domi maneat. Euntes per plateas bini et bini modeste incedant, nec alte nimis loquantur. Foras etiam cum venerint, omnes in unum congregati mancant, nec alii

praecurrendo, alii tardius sequendo, alii in horto, aliove loco manendo, ab aliis se segregent.

5. Si domi concedatur recreatio, omnis ludus, qui corpus non exercet, sed ingenium fatigat, perpetuo interdictus esto: proin conis, vel in tabula ludatur: pro pecunia tamen ludere nunquam licebit.

6. Quibus permittitur haustum vespertinum sumere, sint modesti, nec alte clament, itaque se expediant, ut post quadrantem omnes sine mora egrediantur e rectorio. Nemo ex illo aliquid cibi vel potus secum auferat, nisi specialem facultatem habeat, sine qua nemo a mensa abesse poterit. Si vero quis aliquo et a medico praescripto medicamine ad recuperandam, vel conservandam sanitatem indigeat, prius a Superiore veniam postulabit.

7. Tempore recreationis post mensam et coenam omnes simul in atrio, vel in Musaeis suis convenient. Nullus eo tempore ab aliis se segreget: nullus alterius Musaeum ingrediatur, nisi permissu Superiorum.

8. Qui deprehensi fuerint intra civitatem immodice bibisse, vel ex civitate in Seminarium panem vel simile quid afferendum curasse, vel inter ambulandum emisse, ita punientur, ut alii eos non facile imitentur.

9. Refectorium extra tempus refectionis et haustus vespertini nemo ingrediatur: nemo prope illius januam stet: nulli cellam cerevisiarum, aut culinam sub quovis praetextu liceat ingredi, etiam cibos adportandi causa, sed qui aegrotis ministrant, expectent.

10. Dum datur signum publicum Salutationis angelicae, preces Ecclesiae consuetas dicant flexis genibus, vel stantes, prout tempus postulerit. His finitis, si praesentium aliquis dignitate major sit, ante eum

surgere indecorum est, et ubi surrexerint, iis, qui adsunt, faustum diem, vel vesperum precentur, praemisso: *Laudetur Jesus Christus.*

11. Silentium ubique extra recreationis tempora servabitur, praecipue in Ecclesia, in Musaeo, in dormitorio, in refectorio, nisi excuset necessitas, et tunc breviter id fiat, et demissa voce. Caveant omnes et singuli, ne eundo per domum, aperiendo vel claudendo januas, strepitum excitent.

12. In honorem Christi Domini humiliantis se, et venientis in hunc mundum, ut ministret, non vero, ut ministretur, omnes et singuli juxta ordinationem D. Regentis cibos ministrabunt, dum mensae accumbitur, et legent, infra prandium quidem post lectionem duodecim aut quindecim versuum S. Scripturae, librum asceticum, et in fine mensae Martyrologium: infra coenam vero post lectionem Scripturae Historiam ecclesiasticam, nisi aliud Superiori ad tempus visum fuerit. Legatur porro S. Scriptura a Lectore stante et capite discooperto. Universim omnibus notandum, ut cum corpus reficitur, etiam animae sua refectio praebetur. *Cum comedis*, ait S. Bernardus, *non totus comedas, sed attendas lectioni.*

13. Similiter in memoriam passionis dominicae feria sexta abstinentiam servabunt, et unico, quod adponitur ferculo contenti sint: neque diebus, quibus ab Ecclesia secunda refectio prohibetur, pro collatione praeter offam, panem et cerevisiam sumere quidquam liceat.

Denique cum compertum sit, illum, qui gulam refranare nescit, nullum in virtute progressum factu-

rum, noverint omnes, merendas, et ientacula omnia in seminario prohibita esse.

Similiter post prandium et coenam nulli amplius liceat potum sumere. Pecuniae proin quandoque afferri solitae, in meliores usus convertentur.

14. Omnes demissa voce, ut Clericos decet, loquantur, nullusque cum alio contendat, sed si qua de re ipsis diversa est sententia, eaque videtur manifestanda, rationes modeste et cum charitate adferantur, eo animo, ut suus veritati sit locus, non ut in ea re Superiores videantur.

15. Servabitur quoque ad amussim ordo diurnus. Quivis campanae domesticae sono tanquam voci Dei obedientiam praestabit: summa alacritate singulis aderit exercitiis Seminarii. Nemo aberit unquam, aut e loco exercitii egredietur, nisi prius obtenta a Superiore venia.

16. Et ut fidelius praesens vitae institutum servent, singuli harum regularum memoriam mensibus singulis, eas legendo vel audiendo renovent, sique fideles se fuisse invenerint, Deo gratias agant, et donum perseverantiae humiliter petant, si secus, defectus suos delectant, et adjuvante Domino emendare studeant, ita quidem, ut omnes sibi persuasum habeant, ex parte nostra internam charitatis et amoris illius legem, quam Spiritus S. scribere, et in cordibus imprimere solet; ad progressum in virtute faciendum prae omnibus castigationibus, quibus suo tempore in transgressores utiliter animadvertitur, maximum adjumentum et pondus habituram.

§. V.

De observandis ad mensam.

1. Dum signum ad mensam datur, omnes una serie ad refectorium in silentio descendant, manus lavent, et se componant: ad benedictionem et gratiarum actionem stent corpore erecto, et oculis demissis, et ad preces distincte, devote et integre respondeant: in tabulam non propendeant inclinati, nec se immittant usque ad cubitos in mensam, sed illius extrema solis manibus contingant.

2. Inter mensam, dum lectio habetur, sint adtentii, et silentium, nisi facultas loquendi fiat, accurate observent; siquid autem petendum, id submissa voce faciant: cochlearia non ita agitent, ut strepitum excitent, nec illa aut fuscinulam ita onerent, ut defluente turpiter fluido aut cibo mappa contaminetur. Refectionem a potu non incipiant, nec bibant, dum cibus adhuc in ore est, nec cibos ad mensam olfaciant. In fercula omnes simul non irruant, sed alter alterum sequatur.

3. Cibos aliis adpositos oculis curiose non perlustrent: e communi cibo, socio quod obversum est, non surripiant, nec e fructibus, vel aliis, quod sibi arridet, multum deligant, sed quilibet ea portione, quae ei adjacet, contentus sit: ossa canum more non arrodant, sed carnem cultro decore decerpant, nec eam sub mensam dejiciant. De cibis, vel potu aliquid secum auferre omnino prohibitum est.

4. Multum panis una sectione non scindant, nec eum secent in morsus grandes et largos: non partiantur illum digitis, nec micam solum eximant, nec solam crustam defringant. Dum bibunt, non bibant praepropere, nec dum bibit, qui proxime adsidet: nec vitrum aut craterem ita in altum adtollant, ut capite resupini ultimam guttam exhaurire velle videantur.

5. Dum vident, Superiorem velle mensam claudere, utensilia sua componant, tum ad gratiarum actionem, uti ad benedictionem devote et integre respondeant: ad *Gloria Patri* et *Sit nomen Domini benedictum* etc. caput reverenter inclinent, ac demum tempus pro relaxatione concessum honestis et suavis discursibus impendere studeant.

§. VI.

De literarum studiis.

*L*abia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Malachiae C. 2. Omnes proin et singuli in hoc Seminario Nostro existentes in studia praescripta cum omni diligentia in Domino incumbant, ut et Domino Deo posituro cum servis suis rationem de tempore, occasione, et talentis utiliter a se impensis, et Nostrae intentioni, ac dioeceseos expectationi satisfacere, et Dei gloriam, animarumque salutem magno cum fructu promovere possint. Hinc ordinem diurnum sibi praescriptum ad literam observent, nec aliud agere praesumant, quam quod in eo ordinatum est. Somnolentia, confabulationes, excursiones,

strepitus, et quaecunque ad attentionem animi requisitam dissipare possunt, sedulo evitentur.

Praefecti Musaeorum invigilabunt, et de profectu singulorum in studiis, asceti, cantu ecclesiastico, scientia rituum, et quae ad disciplinam pertinent, D. Regenti sabbatho fideliter et sine partium studio referent.

1. Pro exercitationibus oratorii materias a D. Regente petant, curentque, ut tota doctrina catechetica, utpote institutioni plebis ruralis maxime adcommodata, saltem integro biennio praevis laboribus absolvatur. Conciones hujusmodi catecheticae sales sint, ut dominicis festisque diebus sub re divina et de cathedra, et e plano, ut et sub Missa matutina utiliter proponi possint.

2. Catechismi quoque traditionem in Seminario ita addiscant, ut praecipua illius puncta bis in anno tene-riori aetati suo tempore explanare possint, cum experientia doceat, et ratio confirmet, copia quaestionum juventutem obrui, et illarum frequentata repetitione plurimum adjuvari. Maxime hoc tempore inculcanda sunt motiva Religionis revelatae, et notae verae Ecclesiae.

3. Qui brevi ad Ordinem aliquem promovendi sunt, tempore, quod examini vicinum est, diligenter legant ea, quae in Candidato Ordinis suscipiendi requiruntur, de quibus etiam inter se conferre in circulis poterunt, tempore recreationis post prandium et coenam.

4. Praeter lectiones a Superioribus traditas, in Musaeis quoque quotidie statis horis repetitiones privatim et in silentio instituantur.

5. Libris impressis nihil inscribatur, nec in illis

quaedam notentur lineola subducta. Ea denique omnia vitentur, quibus libri maculantur, vel destruuntur.

6. Quod supra §. IV. n. 11. indicatum, in Musaeo extra horam colloquii summum silentium servetur; si quid tempore studii alteri necessario insinuandum sit, id tam submissis quam paucis verbis eidem aperiatur; tempore studii e Musaeo exeuntes et ingredientibus gra-
da maxime modesto incedant, ne alios in studiis turbent.

7. Cum experientia docet, quam multis cantus cho-
ralis parum curae sit, divinum autem officium cantu inhonesto sacerdotis maxime dehonestetur, omnes hac de causa omnem adhibeant diligentiam, ut, quantum fieri possit, hunc cantum addiscant, sese in eo saepius exercendo.

§. VII.

De ordine diurno.

1. **H**ora quinta omnes sine mora surgunt, signantes se signo crucis, et inter pias cogitationes in silentio vestimenta sua modeste induunt, manus etc. lavant, et ita se expediunt, ut quadrante post quintam preces matutinas in oratorio inchoare possint.

2. Media sexta omnes Musaeum petunt, ubi usque ad sextam instituitur flexis genibus meditatio: subin reflexio, notantur lumina, sive veritates, quae intellectum magis convicerunt, ac voluntatem magis inflammant. Haec notamina, singulis mensibus a Musaeorum Praefectis collecta, atque nominibus alumnorum

* Hic pro loci, temporis, aliarumque circumstantiarum ratione aliqua notabiliter immutata sunt, ac mutationi ad arbitrium Episcopi subjacent in posterum.

insignita, D. Subregenti traduntur. Tempore autem suo reddentur singulis sua ad usum futurum.

3. Meditationem et reflexionem sequitur studium, quod durat usque ad mediam octavam, aut paulo ante, ubi auditur sacrum.

4. Finito Sacro diebus ferialibus per hebdomadam ab octava usque ad decimam fiunt praelectiones circa materias antea designandas. Ab his praelectionibus nemo absit sine causa, Superiori prius insinuata.

5. Absolutis praelectionibus omnes in silentio Musaea sua petunt, ubi recapitulant audita, scriptisque mandant et student usque ad quadrantem primam post undecimam. Dein fit recollectio ac examen conscientiae.

6. XI $1/2$ ad sumendum prandium omnes modeste in silentio ac una serie pergunt ad refectorium, ibique ita se gerunt, prout decor, et vitae clericalis ratio a virtutis studiosis exigit. Cetera, ad mensam observanda, jam §. V. indigitata sunt.

7. A XII $1/4$ conceditur honesta respiratio usque ad horam primam pomeridianam, exceptis iis, quibus juxta ordinem assignandum in suo respectivo Musaeo a XII $1/2$ usque ad I $1/2$ exercitium in cantu choralis incumbit. Quod exercitium Feria tertia, quinta et Sabbatis locum non habet. Ceteri hora prima feriis 2. 3. 4. 6. in Musaea sua in silentio se recipiunt, et student usque ad I $1/2$, ubi praelectiones, aut exercitia homiletica vel catechetica fiunt, feriis 2. 4. 6. quidem usque ad III $1/2$, feriis autem 3. et 5. usque ad III, ubi per horam deambulatur, dein pro aere proprio per mediam horam iis, qui volunt, conceditur potus vespertinus, in refectorio, sine clamore sumendus. Ceteris autem diebus, feriis nempe 2. 4. 6., deambulatio fit a III $1/2$ usque ad IV $1/2$.

8. Feria 5. et Sabbato praelectio incipit hora prima, per horam unam tantum data.

9. IV $1/2$ singulis diebus, etiam dominicis et festis studium usque ad VI $1/2$, ubi coena. Sabbatis autem, vel Vigiliis festorum, in quibus alumni ad sacram Synaxin accedunt, post unius horae praelectionem hora II student, III respirant per mediam, III $1/2$ confitentur sacramentaliter in Oratorio, reliquum temporis transigunt studendo usque ad coenam VI $1/2$.

10. VII usque ad VIII respiratio. VIII Lectio spiritualis. VIII $1/2$ Preces vespertinae in Oratorio, Sabbatis autem et praedictis Vigiliis VIII Praefecti Musaeorum praelegunt ex libro IV de imitatione Christi per unum horae quadrantem, et VIII $1/4$ preces vespertinae, ubi etiam Evangelium festi aut dominicae pro meditatione diei futurae explanatur.

11. Post preces nocturnas omnes in silentio summo cubitum eant, et luminaria extinguantur.

Pro diebus dominicis et festis.

1. Surgitur, ut solito, hora V. Primo post quadrante habentur preces matutinae. V $1/2$ Meditatio. VI Missa et Communio. VII Notamina ex meditatione; $1/2$ lentaculum licet sumere iis, qui pro aere suo id petunt. VII $3/4$ ad ecclesiam cathedralém alumni bini et bini vadunt, ubi concioni et divino officio devote cum aedificatione aliorum intersint. Post reditum ex ecclesia cathedrali studium. XI $1/4$ Examen conscientiae. XI $1/2$ Prandium.

2. Hora XII $1/4$ Respiratio. I Studium. II $1/2$

potus vespertinus, uti Feriis 3 et 5. dictum est. III
 Preces in oratorio, quibus finitis ambulatio. IV 1/2
 Studium. VI 1/2 Coena. VII — VIII Respiratio.
 VIII Lectio spiritualis. 1/2 Preces vespertinae.

Diebus, quibus scholae vacant.

Omnia, ut supra in ordine diurno, ita quidem, ut
 finito Sacro studeatur usque ad horam nonam. Inde va-
 catio usque ad primum quadrantem post undecimam,
 quo instituitur examen conscientiae. Sequitur prandium
 et relaxatio usque ad horam quintam, ubi cuncta fiant,
 sicut reliquis diebus. Ejusmodi autem licentiae ad va-
 candum rarissime dentur.

§. VIII.

De observandis tempore feriarum autumnalium.

1. **U**tantur semper veste talari, sive sotana oblonga,
 ita tamen, ut in itineribus faciendis ordinationi a No-
 bis nuper editae se conformare possint.

2. Conversationem habeant potissimum cum Viris
 ecclesiasticis, nunquam vero cum juvenibus dissolutis,
 multo minus cum personis alterius sexus. A venatione,
 hospitiiis, ludis per Canones interdictis absterneant, et
 in omni re ordinationes Nostrae Diocesae observare
 studeant.

3. Quantum fieri potest, studeant hoc quoque
 tempore consueta pietatis exercitia, preces matutinas, et
 vespertinas, meditationem, lectionem libri spiritualis, ex-
 amen conscientiae generale et particulare cum omni dili-

gentia in Domino peragere, ne spiritum, quem per an-
 num collegerunt, paucarum hebdomadarum spatio dissipent.

4. Quotidie Ss. Missae Sacrificio cum debita reve-
 rentia et aedificatione populi adstant; et singulis octi-
 dnis conscientiam Sacramento poenitentiae expient, et
 Ss. Christi Domini Corpus sumant. Ordines quoque
 suos, si et ubi occasio fuerit, exercent.

5. Non omne tempus otiose transigant, sed prae-
 ter dictas exercitationes spirituales utilibus laboribus,
 lectioni Historici sacri, concionatorii, theolog. etc.
 ante et post meridiem aliquot horas tribuant. Ita se
 denique universim gerant, ut nemini dent ullam offen-
 sionem, sed omnem potius hominem verbo et opere
 aedificent.

6. Toto feriarum tempore RR. DD. locorum Pa-
 storibus subjaceant, et ab iisdem, redituri ad Semi-
 narium, literas clausas petant, vitae in patria actae,
 et singulorum punctorum rite observatorum testes.
 Quorum proin conscientiam oneramus, ut in re tanti
 momenti veritatem sincere nobis perscribant.

7. Transgressores harum regularum prima vice a
 D. Regente verbis corrigantur, aut etiam poena iisdem
 imponatur: secunda vero vice transgressionis rei ad
 proximam ordinationem non admittantur, si vero sa-
 cerdotes sint, ad curam animarum non exponantur,
 licet ipsos ordo tangeret.

§. IX.

Regulae pro D. Regente.

1. Saepius animo repetat Seminarii Regens gravitatem
 officii, quod in se suscepit, cum ab eorum, qui in

Seminario vivunt, recta institutione, totius propemodum Dioecesis salus dependeat.

2. Ipse proin sit a vitae commodis, ab otio, luxuque alienus: ipse somno brevi, mensaque frugali contentus, vitam regularem ducat: ipse primus leges Seminarii observet, suoque exemplo alios ad illarum observantiam excitet.

3. Praeterea observationem regularum et constanter et solide urgeat, nec ullo unquam tempore de illis quidquam immutet, nisi a Nobis, prius rite informatus, immutandi facultatem obtinuerit, consuetudinibus quibusvis in contrarium nihil valentibus.

4. Facultatem producendi somnum raro, nec tunc ultra horam sextam, concedat. Quo casu praescripta meditatio minime omittatur. Transgressores regularum etiam publice, moderate tamen, plectat.

5. Quovis mense semel atque iterum post mensam vel coenam singulos seorsim ad se vocet, et de rebus ad vitam clericalem pertinentibus agat, et examinis particularis usum urgeat, et fructum examinet. Singulis vero octiduis bis ad dimidiam horam instructionem asceticam similiter de vita clericali habeat.

6. Habeat quoque librum, in quo singulorum Seminaristarum nomina, patriam, aetatem, profectum et gradum literarum, mores, talenta ad docendum, ad concionandum, et alia officia, item linguarum peritiam, sanitatem et vires corporis, denique officia gesta, et annos in cura animarum transactos etc. fideliter per singulos annos describat.

Denique Nobis sub finem cujusvis mensis de singulorum progressu in moribus et literis sincere referat.